

quo, interpretatur, parato in loco, qui Iloa dicitur, suimet hospitio multum hilaris occurrit. Qualiter autem Cæsar ab eodem tunc susciperetur, & per sua usque ad Gnesin deduceretur, dictu incredibile atque ineffabile est. Videns autem longe urbem desideratam, nudis pedibus &c. Quæ quum ita sint, minus dubito, plures, subsecutis temporibus, Imperatoris exemplum imitatos esse. Persvadent hoc mihi mores illius seculi ad superstitionem, & sacra præsertim hujus generis itinera maxime proclives. Has autem ipsas peregrinationes sacras multum ad usum frequentiore commerciorum contulisse, adeo certum est, ut nemo id, nisi rerum antiquarum expers, sit negaturus. Quibus temporibus tamen mutua utriusque gentis commercia maxime florere cœperint, de eo silent superioris ætatis scriptores. Equidem HELMOLDVS & ADAMVS BREMENSIS referunt, jam antiquissimis temporibus Saxones ex portu Slesvicensi ad Prussos navigasse, pellesque inde, utpote superbarum vestium materiam, petiisse, adeoque probabile ad fidem videtur, subsequentibus temporibus hac etiam via, varias hujus generis merces, & alias res, quibus Polonia abundat, utputa frumentum & sal, in Germaniam illatas & pecudes ad nos actas esse.

XIII.

Discedimus igitur ab iis, de quibus scriptores, qui res gestas superiorum temporum consignarunt, silent, & progredimur ad recentiora. Hic vero se offerunt testimonia, omni exceptione majora, ex quibus satis superque constat, nec novam esse hanc viam, nec superioribus seculis desertam, sed potius satis illustrem atque frequentatam fuisse. Apparet illud ex literis Henrici, Wittigonis, & Henrici de Camentz, qui jam sub initio seculi XIV. usum telonii, quod ab iis, qui ex Silesia Poloniaque veniunt, eoque proficiscuntur, pro transitu pendi solet, & nostra lingua *Der Durch-Zoll* appellatur, Apezoni cuidam, feudi nomine dederunt.